



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Theologiæ Mysticæ, Seu Facilem & practicum modum
Exercitia Spiritualia S.P. Ignatii Loyolæ per octiduum faciendi - item
triduanam recollectionem fructosè instituendi complectens, Et
Sacerdotibus Præcipuè, aut de Sacerdotali Statu suscipiendo
deliberantibus accomodata, Una cum ...

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1680

Materia Lectionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48834)

excitantur. Parum ergo est semel putasse, saepe putandum est; imò si fieri potest, semper, quia semper, quod putari oportet, si non dissimulas, invenies; nam, ut bene S. Ephrem exhort. ad piet. dixit, bellum militum breve, sed Monachorum (& potiori jure Sacerdotis) pugna, quoadusque migraverit Dominum. 2. Ut non ad difficultatem mortificationis ternam, sed unctionem & consolationem, quæ, plerumque mortificationem comitatur juxta illud Apoc. 2. *Vincens dabo manna absconditum*: oculos mentis reflectas; nam S. Bernardus ser. 1. de dedic. sapienter advertit, hinc est, quod multi abominantur, & fugiunt penitentiam, crucem, & mortem videntes, sed non etiam unctionem. Vos, qui experitis, ecce scitis, quia verè crux nostra inuncta est, & non dicam, amaritudo nostra dulcissima. 3. Ut contra Mortificationis Exercitio facilitatem tibi hujus virtutis curare studeas; ut enim, qui crucifiguntur, non uno tantum aut altero ictu Cruci affiguntur, sed pluribus opus est, qui cum Christo crucifigi cupit, sapius sibi vim inferre necesse est. Unde rectè Thomas Kemp, l. 1. c. 3. ait: *Hoc debet esse negotium nostrum, sincere & fideliter seipsum, quotidie seipso fortiosem fieri, atque in melius aliquid conficere.* Quidni ergo exardescis in temetipsum, & exclamans cum S. Bernardo: *Exurgat DEVS, cadat armatus iste, & conteratur inimicus homo, Contemptor DEI, amicus sui, amicus Mundi, servus Diaboli; quid tibi videtur, si rectè sentis, mecum dices: Reus est mortis, crucifigatur.*

Materia Lectionis.

Ex libello de imitatione legi potest residuum ex l. 1. c. 1. vel si jam totum priori die lectum est, l. 3. c. 19.

Ex libello Ascetico, vel Historico, quantum tempus permittit.

Ex libello Exercitiorum legi possunt hodie Regule de virtutu temperando, quæ supra p. 1. c. 3. §. 3. med. 2. n. 7. habentur; circa quas tamen duo obiter notanda sunt. Primum est, eas à S. P. Ignatio non ideo in hac Septimana positas esse, quòd huic Septimanæ propriæ sint, sed quòd aliis diebus alia documenta magis necessaria tradenda, atque adhibenda.

qui exercetur, multitudine legendæ materiæ non obruendus
sicut Directorium c. 35. n. 13. suspicatur.

Secundum est, quod S. Ignatius has Regulas ideo assignâ-
tis, eò quod necessitatem specialem vitiij Gulæ extirpandi
agnoverit, non ignarus videlicet sententiæ à S. Gregorio
hom. 30. mor. prolata, dum ait: *Non ad conflictum spiri-
tualis agonis assurgitur, si non prius intra nosmetipsos hostis
positus, gula videlicet appetitus edomatur, quia, si non ea,
qua nobis viciniora sunt, prosternimus, inaniter ad ea, qua
longius sunt, impugnanda transimus; incassum namq; con-
tra exteriores inimicos in campo bellum geritur, si intra ur-
bis mania cruvis insidians habetur.* Unde rectè pius Author
l. 1. c. 19. hortatur: *Accinge te sicut vir contra Diabolicas
nequitias: frena gulam, & omnem carnis inclinationem
facilius frenabis;* nam apud eos, qui in Mundo sunt, radix
malorum omnium est avaritia, apud Monachos verò (& Sa-
cerdotes) gulæ concupiscentia, teste S. Climaco grad. 26.
Prudenter tamen legendæ, multòque cautiùs usurpandæ
sunt, ne noceant potius, quàm profint. Unde monet cit. Di-
rectorium, non semper scripto dandas esse, sed verbo potius
applicandas, eò quod non omnibus eodem modo conveni-
ant, atque a deo Directoris prudentis ad vires & complexio-
nem corporis, animique attendentis, directione egeant.

Materia Scriptionis.

Cùm ad Sacerdotem tria præcipuè capita pertineant, ma-
gna (id est, sufficiens) scientia, major prudentia, maxima
sanctitas; ideo ut hanc quoque Prudentiæ virtutem faciliùs
comparare, & solidiùs exercere queat, juvabit, hodie dicta-
mina quardam Prudentiæ conscribere, juxta quæ sese dirige-
re deinceps queat, qualia quidem exempli causa sequentia
esse possunt.

Dictamina observanda circa seipsum.

- I. Quid prodest homini, si universum Mundum lucretur,
animæ verò suæ detrimentum patiatur.
- II. Talis ac tantus est, qualis & quantus es apud DEVM.
- III. Laude te alienus, & non os tuum; extraneus, & non
labia tua.